

6.

EXAMEN VARIARUM LECTI<sup>N</sup>ONUM,  
QUAS AD TEXTUM JESAIÆ HEBRÆUM  
ALEXANDRINA VERSIO EXHIBET,

---

CUJUS  
PARTEM SEXTAM.

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

*Modeste fistunt*

JACOBUS BONSDORFF,  
S. S. Theol. Licentiat. & Adjunct. Ordin.

Et

ANDREAS HENRICUS WINTER,  
*Wiburgenhs.*

IN AUDIT. MAJORI DIE XVI MAI MDCCCV.

h. a. m. s.

---

ABOË.

Typis FRENCKELLIANIS.

J.

MINIMUS AVARIA MELIORUM  
MUNIMENTA TERRAM ISRAEL HERETUM  
SALVATIONIS CRATI ENIT

200

207/28 MITRAS

208/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

209/28 APOSTOLICAE

210/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

211/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

212/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

213/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

214/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

215/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

216/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

217/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

218/28

219/28 APOSTOLICAE TRADITIONIS LIBRI

רוּבָרְ מֵעַם. Manifestum quippe est, affixum primæ personæ abesse non posse e vocabulo רֹבֶרְ, quod populum ipsum spectat, Divina carentem summa beneficia; atque quam frigidum esset, Divina nomina יְהֹוָה & יְהֹוָתָה, eodem in membro orationis, una sumere! quare etiam nonnulli a Kennicotto collati codices vocabulum רֹבֶרְ jure expunxerunt. Sensus ipse limpidissimus est: *Deus meum robur est, meaque cantilena h. e. præsidium mihi præstat,* eumque celebrabo. cfr. Psalm. LXXXIX. 2. XCIVIII. 5.

### Caput. XIII.

Vers. 2. In ipso primordio elegantissimi hujus carminis, quod ruinam & excidium Babylonicae civitatis vividis minitatur atque depingit verborum coloribus, præcones sistit vates Divinus signa sua erigentes in montibus, fortiterque belligerantium hostium turmas exhortantes, invadant scilicet Principum portas, adventantibus sibi apertas. Nullum esse dubium poterit, quin hostilem exercitum pronomine רֹבֶרְ significaverit vates, ingenuos autem s. *principes* (נְדוּבִים) ad Babyloniam retulerit gentem, cuius urbem munitissimam devastaret consocia ta hostium, Medorum Persarumque, manus. Eundem fere sensum expressit Alexandrinus interpres, verbis: ανοιξατε αρχαιτες απεριτε (scil. portas) *principes*; nec ratio est, cur textum hebreum רֹבֶרְ hinc corrigamus in formam verbalem pl. n. פְּתָחָו, quemadmodum Celeb. CUBE in mentem venit; Adjectum enim verbum: יְבָאֵנוּ ingrediantur, invadant satis luculenter requirit nomen, quocum construatur, (cfr. Prov. VIII. 4. cet.) quamquam etiam saepiuscule nude ponatur. In hac autem facillima interpretatione nec Veteres nec recentiores substetisse de-

prehendimus; etenim & varia suffixa addidere nomini  
 פָּתָח (portas ejus Chald. quocum Koppe, portas tuas Syr.—  
 meas ill. Mich. & Rec. Svec. Int; ex conjectura) & uni-  
 verlam sententiam traxerunt ad hostes ipsos, quorum  
 spontanei milites statuerentur ante agmina, vel palatia, vel  
 stationes quascunque imperatorum congregari; Quod ta-  
 men contextui non minus quam poeticæ arti, qua bre-  
 vem quasi effigiem & conspectum totius argumenti in  
 ipso carminis exordio, proposuit vates, repugnare,  
 primum est ad intelligendum. Quam concisa enim &  
 pulchra est exhortatio militum undique confluentium, tur-  
 matinique portas atrocissimæ civitatis pervadentium, "fi-  
 gna erigite in monte alto, acclamate illis, manu indicate,  
 ut portas principum (potentum) invadant."

Vers. 5. Ingenti sub anthropopathia Deus ipse cum  
 suis copiis, utpote iræ suæ instrumentis, venire sicut ex  
 remotissima terra & ipsius cœli finibus, terminisque, quia  
 spectatoris oculis apparent cœli velut terminari in regio-  
 nibus maxime distitis, sive horizontis ipsius ultimis fini-  
 bus. Verba igitur textus: מִצְרַיִם נִצְרָב, quæ ex vulgari  
 & optica rerum sensualium representatione facile expli-  
 cantur, nulla egerit emendatione, quam ex Alexandr. In-  
 terpere protulere ill. J. D. Mich. & CURE, integrum  
 quippe restituentes vocabulum מִצְרַיִם, fundamenta, quod  
 montes amplissimi regni Persici respiceret. Certum qui  
 dem est, montes altissimos tanquam fundamenta cœlo-  
 rum saepius adumbrari, v. c. II Sam. XXII: 8; hoc vero  
 in loco Jesaiano parallelimus omnino disvidet, talem fin-  
 gere ideam, quam Græcus sine dubio ex ingenio tantum  
 suo addidit.

Vers. 14. Ex conjectura, nec satis commoda, græ-  
 cus interpres ad verbum נִצְרָב addidit subjectum quoddam  
 imagini capreæ fugientis adaptandum; habet vero: נִצְרָב

εονται ὃι καταλελειμμένοι ὡς δογμάδιον, unde Rev. LOWTH & CUBE textui addendum svalent שָׁרֵשׁ *superstites*. Sed longe probabilius est, dictionem textualem, utpote ellipticam, pro more Hebraeorum suppleti in sensu posse vocabulo, וְאַתָּה unusquisque, quemadmodum in seqq. membro conspicitur; neque satis aptum erit statuere, superstites fugam cepisse, ut poties dicetur de omni multitudine civium, plerosque salutem sibi per fugam conciliasse, qui vero remanerunt, gladio misere confossi & trucidati aperte in sequi. vers. perhibentur. Seriem rerum exacte ab ipso Propheta observatam esse, quis est quin videat.

Vers. 18. Minutula & superflua est crisis, copulativam svalens πω δια jungere particulam.

Vers. 22. In emendanda textuali scriptione בְּאַלְפָנִיתָה quæ sine dubio vitiosa est, & cum בְּאַרְמֻנוֹת in palatiis permutteri debet, prout Syr. Chald. Vulg. & Recentiorum plerique exposuerunt, nihil quidem opis ex Alexandrino, qui εἶαι habet, arcessi potest. Sentum dedit utcunque, quia male sibi depictas habuit hebraicas litteras, neque servaret commode inde expedire posset. Atque quum Chald. ipse paraphrastes, quem sequuntur Rabbini nonnulli, contra Malorethicam pugnet litteram, non satis antiquus hujus loci error videtur, sed ex parallelo Ezech. XIX: 7. forte illatus. Fuere tamen haud obscuri interpretes, in vindicando textu ita occupati, ut sive emphatice imaginem viduæ a Poeta insertam fuisse, ad significandam tantum tristiotrem vastationem ædificiorum, quasi viduatorum, judicarent, aut ad alia ejusdem stirpis vocabula אלם, אִילֶם & אִילָם particus, vestibula Chald. idem, provocantes, formam אלְמָנִיתָה de ædificiis fornicatis (gewölbter saal, PAULUS in Clavi) interpretarentur. Verum enimvero tanisper dubitare licet, utrum originatio hæc Chaldaica stilo

Jesaiano accommodari poscit, quem constantem in usu vocabulorum אַרְמָנִים & גָּלְגָּלִים, diversas sonantum res, esse appetit, & frustaneus est ut plurimum nonnullorum labor, spretis idiotismis scriptoris cujusdam definitis, usu que frequentatis, ad alia provolare incertiora adminicula. Ipse parallelismus, quem hebræi yates tanta sèpius exactitudine observasse deprehenduntur, hoc saltim loco veram pandet verborum lectionem ac interpretationem.

### Caput. XIV.

Vers. 4. Quarquam dissimulandum non sit, Hebræum תְּרַחֲבָה posse sive ex Chaldaismo, de regione, auro repleta, opulentissima, auri cupida, aureo ornata superbiente explicari, prout ingenti sub varietate troporum interpretes in diversas traxerunt partes, sive etiam ex Arabicâ Dialecto, abigendi, exigendi, immo etiam vincendi notionem mutuari, quemadmodum Schultensius, Paulus al. quisque suo ex ingenio, conjectarunt; interim tamen, quum in Hebraica lingua non occurrat בְּרֵבֶת, nec verisimile sit, prophetam chaldaicâ usum fuisse dialecto, aut ad Babyloniorum & Chaldaeorum lingvam stilum accommodasse suum præter necessitatem, magna omnino veritatis specie se commendat conjectura, litteram ר cum ר permutatam, adeoque antiquam scripturam fuisse תְּרַחֲבָה terribilis, terrorem incutiens. Protulit hanc minime spernendam interpretandi methodum, jam Houbigantius, calculis vero suis adprobarunt Ill. Mich. DOED. Rec. Svec. Metaphrastes; neque ex Antiquis, licet dissentientibus, neminem habuere suffragantem. Alexandr. vertit ὁ επιστελλεῖς Chald. רִבְבָּא פְּרִתָּה ferocitas Syr. וְכֹה וְexactor, impellens, quos omnes in mente habuisse רְבָבָה Jesaiæ satis tritum, non autem רְבָבָה Syriacum, facile ex parallelis locis

¶ 93 ¶

eis Ies. III: 5. Gr. προσκυψει LX: 5. εκσηση. II: 9. p̄t̄sp̄t̄  
eitur. In primis autem consulendum est synonymum vo-  
cabulum שׁׂרֵאַת ex auctor, cui ex aste respondet alterum  
הַרְחָבָה, quod in fœmin. forma de industria positum cer-  
nitur, ad indicandum imperium ipsum Babylonicum, si-  
mili terrore alias quondam vexans gentes, ac superbus  
ipse rex, crudelitate horrendus. Fluit ergo oratio excel-  
lentissimi vatis, haud interrupto, cursu: *Periit jam oppres-  
sor, periit, (ceslavit) furibundum, ferocissimum regnum.* Pla-  
ne eundem in modum Jesaias C. XXX. 7. Egyptum ap-  
pellat בְּנֵי ferocem, animosam, jam vero viribus fractam,  
cessantem. vid. f. l.

Vers. 13. Rei & fictioni poeticæ optime convenit,  
locum conventus intelligere ex fabula Antiquorum, qui  
humina sua in montibus altissimis congregari, supersti-  
tione sibi repræsentabant. Ubi enim mentio injecta dudum  
fuit gentis Babylonicae, Drastrorum cultui deditissimæ,  
opportunum quoque vati erat, regem ipsum sistere talia  
jactantem, quæ suis moribus atque phantasiam lusibus ap-  
prime convenienter. Alex. Kadis ev. ἀρισταντίω sensum,  
non imaginem expressit.

Vers. 19. Simili libertate usus interpres græcus hoc  
in loco, verba textus כִּנְצֵר sic ut surculus abjectus,  
abominabilis, transfert ως νεκρος βδελυγμενος, Symm. ως  
επτεμμα, unde Rever. KOPPE & CUBE probare satagunt,  
corpus vel cadaver subintelligi sub nomine נֶצֶר, aut le-  
ctionem in פְּנֵי esse mutandam. Sed bene jam Capellus  
observavit, antiquos tantummodo sensum non verba cu-  
rasse Hieronym. ad verbum dedit, nec habet imago  
surculi rejectanei quidquam, quod offendat.

Vers. 20. Caussa cur insolens rex omni destituere-  
tur sepultura, additus ex poetæ ipsius ingenio, hæcce;

nimirum quod crudeliter quoque populum suum trahaverit & afflixerit. Cum vero in antecedentibus acerbe taxetur, propter ferociam in vicinas omnes gentes, maxime Judæam, atque Alexandr. ipse eum in lensum transulerit, την γην μεταποιησαντα λαον μεταποιησαντα, nata fuit nonnullis suspicio, textum hodiernum sub mendo cubare, atque restituendum esse in ψυχην, sed invito contextu & ceterorum Interpretum renuentे choro.

Vers. 21. Dudum obseruantur NOBIL. & STROTH lectionem Alexandrini: εμπλητεστι την γην πολεμων fallam esse, & pro πολεμων substituendum esse, πολεμων, quo pacto accurate exprimit hebraicam veritatem, omnemque praecedit migrandæ lectionis anam. In ipsa vero sententia: *implere terram urbibus*, manifesta est dominationis periphrasis. Notissimum enim est, Principes regesque Antiquorum Populorum magno honori sibi duxisse, oppidorum numerum armis conquerere vi etiis, atque devictas gentes latissimo suo adjungere imperio. Docet ergo prophetan eminem, superbi Regis Babylonici posteriorum, ulterius violentos prorogaturum esse triumphos.

Vers. 32. Græcum sine urgente necessitate, atque sensu mutasse verba textus מִתְעַנֵּחַ תָּלַאכַי נִזְבֵּחַ, τι απεκριθούσαται βασιλεις εθνων, eatenus animadvertisimus, ut confirmetur originaria scriptio, quæ licet haud indubitate prorsus sit, omnes tamen & veterum & recentiorum superat conjecturas. Quæstioni, per gentis cuiusdam legatos Judaico populo insolenter propositæ, vates ipse Regis nomine severum dedit responsum: Deum sui populi tutorem esse, adeoque frustra esse omnia hostium conamina. Erant sine dubio legati Senacheribi, novum regem Judæorum Hiskiam, minacibus salutatum emisi verbis, quos vero Hiskias summa cum mentis constantia domum dimisit vacuos,

Ca-

## Caput. XV.

Vers. 4. מִזְמָרֶת חַלְצֵי מוֹאָב expediti milites moabi. Sic Aqu. Symm. Chald. Hieron. rite textum tueruntur contra Alexandrinum, (οσφις quasi χλυτοί lumbi) quem sequitur Rever. Lowth. Robur addit textui & adjectum verbum עֲרֵי & parallel locus Jerem. XLVIII. 41.

Vers. 5. Textus recepti lectionem לְפָנֵי contra Alexandr. & Chald. rite quoque defendit Celeb. DATHE. "Non enim incommodi quid sentio in hac sententia, si propheta se ipsum, misericordia commotum, dicat propter tam gravem Moabitarum calamitatem" Conferatur Jes. XVI: 11. XXI: 3. 4. עַלְתָּה שְׁלִישִׁיה vitula triennis. Sic Alex. δαμαλίς τριετης. Imago perquam apta ad describendos fugitivos Moabi. conf. Hof. IV: 16. X: 11. Jerem. XLVI. 20. L: 11. Ingeniosam Celeb. Aurivillii explicationem vocabuli difficillimi וְשִׁירָה שְׁלִישִׁיל ex Arabismo, *infariantis, furibundæ, nostrana etiam nunc facere-*mus, si modo constaret, Hebraeos hanc radicem atque notionem unquam usurpare. Videtur vero Propheta studio triennem vitulam imaginis loco posuisse, ut oraculi tres intra annos implendi præsignificaret veritatem. cfr. C. XIX. 24.

Vers. 9. Hallucinatum fuisse Græcum in permutanda textuali imagine elegantissima נָרוֹת leonis, cum vocabulo αἴγαλος, quod nomen esset urbis Areopolis, a Rever. Lowth huic loco adoptatae, dubio caret. Particula enim ה in לפְלִתָּה aperte nomen quoddam adjunctum poscit. Neque probabiliori specie se commendat altera conjectura ex Alex. arrepta, de urbe *Adama*, quæ dudum everla & funditus delecta fuit, nec inter reliquias Moabiticæ gentis comode poni potuit.

## Caput. XVI.

Vers. 1. Quantum negotii faceserit interpretibus textualis imago agni, ad describendum Principem Moabiticæ gentis hæreditarium allati, dici vix potest. Res ipsa tamen & lectio in salvo esse videtur, confirmantibus Vulg. & Chaldæo ex antiquis; Græcus miro modo se torquet ad sensum qualemcumque efficiendum: *αποσελω αερητα επι την γην*. Interim ejus auctoritate suffultus pro *לְשׁוֹן* substituendum urget Lowth & Mich. *לְשׁוֹן* in 1. peri. sing. Fut. *mittam*, quo pacto tamen multum elegantiæ stili decederet. Describitur miseria Moabi circa irruptionem Asyriorum tanta, ut ipsius Principis filius cogeretur vitæ conservandæ causa per Arabiæ deserta fugam capere & ad Sionem tendere. Tale quippe consilium ex affectu suo traditurus vates, ipsos Moabitas alloquitur, ut mittere vagabundum filium (agnum velut oberrantem) festinent. Neque insolitum Hebræis prouersus fuisse, agnorum nomine compellare sive milites, sive Principes, loca II Reg. XI: 4. 19. Jes. XXXIV. 6, atque synonyma vocabula *עֲזָרִים*, *אַלְמָנָה*, *birci*, *arietes*, de imperatoribus ducibusque satis frequentata, abunde probant. Non ergo absconum est statuere Prophetam metaphorica locutione principem Moabi designare potuisse & revera designasse. Quod vero in poetis fictionibus sistitur, non ad summum reducere rigorem licebit.

Vers. 4. נֶחָם secundum vulgarem punctuationem maximam patit difficultatem; non enim explicari potest, quid sibi velint fugientes, expulsi mei, in primis quum proxime sequatur בְּאֵד. Retinuerunt quidem nonnulli hanc lectionem, quasi emphasis aliquam secum ferret, & quidem ad Judaicam retulerunt gentem, quæ socia velut esset ejusdem yastationis, quam experiebantur Moabitæ,

bitæ. Sed vero minus convenit in hoc versu & Judæos & Moabitas intelligere profugos, quare נַרְחֵי in statu constr. absque omni affixo legendum est, uti quoque Alexandr. & Syrus dederunt: Οὐγαδεῖς Μωαβῖ, fugitiivi Moabitæ, consentientibus LOWTH. MICH. DOED & Svec. Recent. Metaphraste.

Vers. 6. לא כִּי כִּי, haud facilis est explicatu locutio elliptica, pro varia notione ac usu vocis de *ramo*, *solitudine*, *jaætantia*, qui tamen usus hoc loco teneri nequit. Præeunte ergo Alexandr. interprete (*μάντεια σε*) explicemus oportet de superstitione parte populi Moabitici, *bariolis*, *vatibus*, quos propheta jure taxate dicatur atque ruinam illis minari falsissimas suas ob artes, quemadmodum in antecedentibus superbiam Moabitarum depinxerat. Rationem hujus interpretationis, Dathio monente, dabit Jes. XLIV. 25, ubi בָּרוּם expresse junguntur τοις ουτοῖς. *bariolis*. *Audivimus*, inquit propheta, *ingenitem fastum, superbiam, iram Moabi, immo falsissima sunt vatum istius gentis commenta, stulta mendacia; prouinest stabilitas, veritas vatibus istis, omnia, quæ proferunt ad gentem suam demulcendam, stultissima sunt.*

Vers. 7. לֹא propterea. Illativa particula, optime netens antecedentia cum sequentibus; proinde non mutanda in לא, ut MICH. CUBE ex græco, εξ ἐτας prætulerunt. Cetera quoque hujus versi. verba, ingentes Interpretum & antiquiorum & recentiorum pepererunt dissensiones, quibus non diu immorabimur, vulgarem scriptiōnem sensumque vindicaturi Optime enim urbis Kirheres descriptioni quadrabit fundamentorum תְּשִׁישָׁן mentio, licet vel maxime concedendum sit, non modo parallelo loco Jer. XLVIII. 31. exstare שְׁנָא, verum etiam Chaldaeum & Alexandr. ita explicuisse. Hic enim effert N. Natur.

νατομοι. Alli aliter, radicem ψυχην letari, immota ta-  
men lectione, cogitantes. Propius ad textus veritatem  
accedit Syrus, נָרְאַת fundamenta vertens; atque in tanta ve-  
terum inconstans vix est probabilitas fidesque alii adsig-  
nanda, quam qui textum exprimat cum orationis serie opti-  
me cohærentem; immo etiam ratio facilis dari poterit, cur  
ex Jeremiano loco nostrum corrigerent frustra antiqui, per  
inde ac multis aliis in locis parallelis factum esse constat.  
Quis vero iniquius postulabit, Jeremiam verba Jesaiæ  
exacte & sine ulla permutatione repetiisse, cum contra  
satis sit primum, Jeremiam non tam e scripto codice,  
quam sua e memoria in librum suum verba transtulisse,  
quæ jam a Jesaiæ dicta erant. Confer. v. 9. cum Jerem.  
XLVIII. 12. Ceterum graci Interpretis errorem conspi-  
cimus non solum in nomine urbis Kircheres, quod de se de-  
transtulit, permutatis litteris γ & δ, ceterorumque con-  
trariente testimonio, verum etiam in ultimis vocabulis  
Αλ Και Να, quorum scriptura ut sine dubio in Hebreo aut  
hebreo græco codice, quo utebatur græcus, ambigua fuit,  
ita quoque miram hallucinandi ansam ei suppeditavit,  
nullo modo criticum quendam secum latura usum. E-  
leganter enim hebraici textus verba accomodantur ad  
fundamenta urbis funditus everla, prout optime Recens  
Svec. Metaphr. explicuit. Sensus ergo totius membra sic  
constituuntur: super fundamenta Kirchares gemitis, etenim  
everfa sunt.

Vers. 8. Otiosam crisin ad hunc locum attulit Rev.  
LOWTH, quem integrum vocabulum נִכְמָה ex antecedenti  
versu pro נְכָאים hoc retractum cum שְׁרָמוֹת conjungat,  
Alexandrini provocans auctoritatem. Verum enim vero  
consentit Græcus cum textu, licet vocabulum אֲמָל,  
quod cum שְׁרָמוֹת חַשְׁבָּה necessario nexu cohæret, reddi-  
derit

derit πειθησει (τα πεδια επεβων); Neque scrupulos movebit constructio verbi singul. num. mascul. gen. cum nomine plur. fœmin. quippe quæ familiaris est hebræorum scriptorum consuetudo (enallage); *fertilissimi campi* (agri) *Chesbonitici vastati, steriles jacent.* Cui sententia exacto parallelismo respondet subsequens strophe: *Vites Sibmæ-enses contuderunt gentium domini; h. e. desolarunt, de-populati sunt.* Ecquis est, quin verba לְמִן & צָלָה synonyma proflus esse cernat, atque orationis contextui opportuna? Nam quod nonnulli (LOWTH. CUB. WALTH.) ingeniose præceperunt, ipsi huic vitis descriptioni injectam esse ideam inebriandi fortissimos terrarum principes, quia Jesaias ipse Cap. XXVIII. 1. metaphorico stilo, inebriatos appellat *vino contusos*, id quidem nimis longe petitum nostra ex sententia videtur, nec cum syntaxi hebræa apte convenit. Attendatur ad ipsum filum & consilium orationis. *Vites Sibmæ, florentissimæ civitatis, eo usque palmites suos surculosque extendisse teruntur, ut per deferta, mare ipsum, id vero est, fluvium Arnonis, & lacum Jæleris transirent.* Hos vero omnes vitiferos campos collesque iniqua devastabit hostium manus, & planctibus omnem implebit regionem.

Vers. 9. Ex parallelo Jerem. loco Veteres nonnulli (Alex. Syr. Chald.) locum hunc explicuere, nec tamen credere fas est, eosdem aliud in suis codicibus legisse, aut impressum Jesaiæ textum ex Jeremiah esse emendandum, cui conatus Hieronymus jam obicem posuit.

Vers. 10. Sublimi figura anthropomorphica Deus ipse sistitur pronuntians: תַּחֲנוֹנִי finem faciam cohibebo celeusma. Alex. in Ias. form. 3 pers. πεπάυται γαρ Κελευσμα. probante LOWTH. CUBB, præter rem.

Vers. 14 Copulam ו ex Alex addere των non opus

Caput. XVII.

Verf. 1. Pro vario usu particulæ וְ, variam quoque h. l. ejusdem esse significationem in vocabulis יְהוָה & יְמֵן sensus ipse docebit. Illud negative explicandum, prout Hieronym. jam præivit: *desinet esse civitas*; conf. Pl. LXIX: 24. 1 Sam. XV: 26. Hoc vero comparative, *inter*, *in-*  
*star acervi ruderum*. Al. *eis πτωθη sensum* utcunque de-  
dit, spreta imagine, quam textus bene exprimit.

Verf. 2. Quia nomen *Aroer* h. 1 de Moabitica re-  
gione, ejusque urbibus *Aroer* nequaquam explicari poscit,  
nec commode propter syntaxin hebræam, statui possit,  
urbem quandam sive urbes Syriæ hic indicari, probabile  
est, periphrasim esse totius Syriaci regni, jam plane igno-  
tam, conf. Jer. XLVIII: 6. Pl. CII: 18. Melius ergo cen-  
temus cum Vulg. & Syro nomen hoc hebraicum *Aroer*  
retinere, quam cum Lowth. CUBE dubiam & vagabun-  
dam Alexandrini (*εἰς τὸν αὐλαῖα*) præferre auctoritatem, pro-  
mutanda scriptio in רַבְּרַב. Mentio ipsa urbium desola-  
tioni proximarum, requirit subjectum quoddam, alias o-  
ratio hiulca manebit.

Verf. 9. Affectum difficilemque locum, mira veter-  
num disensione contortum, Alexandrinus Interpres solus  
restituere hodiernis videbatur Criticis. Retinuit quidem  
sagacissimus DOED. vulgarem lectionem וְרַבְּרַב, quia com-  
mode posit, *saturni*, *segetem* ex Metonymia arationis de-  
notare, & ubi cum יְמֵן (v. 6. de arboris vertice jam  
allato) construatur, ad rusticam rem pertineret. Longe  
aliam vero exculpit PAULUS in *Clavi. Ex.* ideam ex A-  
rabismo, quasi *præsidia* oppidorum una cum *præfectis* suis  
(רַבְּרַב) derelicta a Judæis esse dicerentur. Utrumque au-  
tem, licet ingeniosum, interpretandi genus, ad univer-  
fam

sam orationis seriem & verborum syntaxin vix accommodari unquam potest. Significationes enim ex Arabica Dialecto Hebraicæ inferre lingvæ, ubi constans ejus & definitus jam fuerit usus & ab Arab. diversus, cauti non est interpretis, quin infinitam pariet conjectandi levitatem Quo tenderet comparatio ipsa, quam partic. manifesto innuit? Expendi ergo meretur altera illa & vulgaris explicandi ratio, quæ imaginem vastationis sumtam ponit ex desolatis agris arbustisque fertilissimis: munitiones desertæ erunt, sicut olim fatorum arborumque messis deferebatur adventantibus Israelitis. Doed. Huic vero interpretationi obstat non tam grammatica verbi נָבֵל syntaxis, quæ proprie de terra aut quacunque re derelicta usurpatur, quam potius usus loquendi Jesiaæ prius, de terra & regione desertæ (evacuata, desolata, prout jam v. 2. urbes Syriacas vates descripsit derelinquendas; præsertim vero obstat ulterior expositio נָבֵל יְהוּנָה כִּי, quae verba intime connexa cum præcedentibus, indicant Israelitas ipsos in causa tuiste, cur pristinam suam sedem olim deseruerint alii populi, nimirum Cananitici. Eo omnino Prophetæ consilium videtur spectasse, ut compararet tristia Judæorum fata futura, cum iis eventibus ac fatis, quæ gentes aliæ, jam antea ab Israelitis expertæ fuerant; Quemadmodum Adamæ & Gomorrhæ eversiōnem sœpius imaginis loco sistit, ira & nunc Cananæorum tristia fata in scenam producere potuit, ut horrorem malefanæ genti Israeliticæ eo fortius incuteret. Quum itaque Alexandrinus, quamquam in aliis bene multis locis negligentissimus, hoc tamen loco perspicacius, elegantius & cum ipsa historia rerum Judaicarum convenientius, transtulerit: *αὐτοὶ οὐδεὶς καὶ οὐ εὐαίσιος*, aptum hinc sensum nemo non arripiat, medelam textui allaturus. Antiquior certe fuit error codicum, quem græcus aut conjectura

probabili nixus, aut codicis sui ex veritate feliciter testi-  
tuit, proinde ab hodiernis fere omnibus laudatus Inter-  
pretibus. Facilem vero fuisse transmutationem וְנִ & נִנְנִ  
sive נִנְנִ, qui msc. codices contulerunt, satis evincunt. cfr.  
MICH. Or. Bibl. XIV. Anh. Sic itaque sensus videtur con-  
stituendus: quemadmodum terram suam relinquere coacti fue-  
runt veteres Evei & Amorreui, propter urgentem vim Israe-  
litarum, sic quoque nunc Israelitae ipsi cogentur suam  
derelinquere patriam; quod per Assyriam contigisse in-  
vasionem, omnes sciunt. Describitur hæc summa vasta-  
tio. v. 12 sequ.

### Caput. XVIII.

Vers. 1. Quam certum est, græcum interpretem, ut-  
pote in Aegypto natum, rite intellexisse ad quem popu-  
lum hocce vaticinium spectaret, nimurum Æthiopicum,  
tam evidenter etiam ejusdem apparer error in verbis ple-  
risque exponendis, quare nihil auctoritatis ipsi adjudica-  
runt critici, qui texius lectionem ac sensum eruere alla-  
borarunt. צָלַעַן כְּנֵפֶס transtulit πλοιων πτερυγες, sine sen-  
su. Tetricam vero inter Tropicos & lineam Äquinoctia-  
lem ubi Solis umbra in duas partes cadet (αμφισσα) Äthiopiam potissimum indicari, pluribus evicit argu-  
mentis sagacissimus Aurivill. in *Dissert. ad h. Cap.* No-  
vissima quidem conjectura PAULUS in *Clavi* adstruere ten-  
tavit, Assyriam gentem per totum hoc Caput describi,  
una cum Äthiopica, quæ bellum in Assyrium Principem  
pararet; est vero implicatior quam verior.

Vers. 2. נְשָׁנָה construi debet cum נְרָא. Licet e-  
nim largiamur, frequentiorem esse constructionem נְרָא  
(fæmin. gen.) cum verbo foem. gen. tamen ex defectu co-  
gnitionis Hebrææ lingvæ non insitiandum est, construi  
potuis-